



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXVI. De Effectu Sacramentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)



Deinde falsò citantur ejus verba; non quærit, quot sint Sacramenta, sed quot sint præcipua Sacramenta? neque respondet esse duo, sed tria Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam. Alexandrum Alensem quoque falsò citant, quia non ex sententia sua dicit, esse tantum duo Sacramenta, sed per modum obiectionis opponit, videri tantum duo, cui obiectioni respondet & ostendit, esse septem Ad 4. negando solum duobus, & non cæteris quinque convenire definitionem Sacramenti; imò in hoc omnia septem Sacramenta convenire univocè supra jam diximus, & est hæc sententia nunc communior inter Doctores, ut testatur Tanner Tom. 4. D. 3. Quæst. i. n. 45. Nec doctrinam nostram oppugnare possunt hæretici, quin sua Sacramenta e medio tollant, ut satis ex dictis patet.



CONTROVERS. LXV.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM.

**E**ffectus Sacramenti in communi tres assignantur. Gratia habitualis seu Sanctificans, Actualis, & Character. Ut autem hi effectus habeantur; imò ut ipse valor etiam Sacramenti subsistat, certa in suscipiente requiritur dispositio, de quibus omnibus hic decidendum.



P A R S P R I O R

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

**I.** *Doctrina prima.* Sacramenta omnia Novæ Legis in suscipiente rite disposito causant Gratiâ sanctificantem. Ita definitur in varijs Concilijs & novissimè in Tridentino Sess. 7. can. 6. *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non-potentibus obicem non conferre, anathema sit.* Consentiant quoque Græci & Latini Patres apud Cardin. Bellarminum Lib. 2. de Sacram. in communi cap. 6. & 7. Sumitur hæc veritas ex ijs Sac. Scripturæ locis, in quibus Sacramenta conferre dicuntur effectus gratiæ sanctificantis, scilicet. *Remissionem peccatorum, justificationem, salvationem, mundationem, vivificationem &c.* ut Baptismus Ephes. 5. v. 29. Confirmatio Actorum 8. v. 17. Eucharistia Joan. 6. v. 58. Pœnitentia Joan. 20. v. 23. Extrema unctio Jacobi 5. v. 13. Ordo 2. Timotheum i. v. 7. Matrimonium Ephes. 5. v. 31. *relinquet homo Patrem & Matrem suam, & ad hærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una;* quæ unio supponit unionem animorum per gratiam; etenim dissidentibus animis nec stabilis cohabitatio, nec copula fideliter servatur. Præter gratiam sanctificantem conferri etiam à Sacramentis Virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti tanquam individos comites illius, tradit Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 7. ubi dicitur *homo in ipsa Justificatione hæc omnia simul accipere Fidem, Spem, Charitatem &c.* ut perinde sicuti per Gratiâ partici-

pamus divinam naturam, ita per virtutes divinum operari.

**II.** *Doctrina secunda.* Sacramenta Novæ Legis non-potentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato. Ita omnes Catholici, habenturque itidem ex Trident. Sess. 7. cit. can. 8. *Siquis dixerit, per ipsa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit.* Pro intellectu hujus doctrinæ sciendum, duplicem esse modum causandi gratiam; unus dicitur ex opere operato: alter ex opere operantis. Ille actus dicitur ex opere operato conferre gratiam, qui vim habet conferendi gratiam non propter bonitatem & meritum, sed propter institutionem divinam; sicuti ablutio Baptismi parvulis nihil merentibus, & peccaminosè à Sacerdote administrata tamen infundit gratiam: Ille verò Actus, qui ex vi suæ bonitatis ac meriti confert gratiam, uti opera charitatis, dicitur conferre gratiam ex opere operantis. Jam omnia Sacramenta ex institutione Christi hominibus rite dispositis conferunt gratiam, ut si peccator cum sola attritione contineatur, quæ per se non sufficeret ad delenda peccata mortalia, nisi accederet absolutio Sacramentalis à Christo instituta.

**III.** *Doctrina tertia.* Quædam Sacramenta ex vi suæ institutionis conferunt primam gratiam: quædam secundam. Ita omnes Catholici, pro cuius intelligentia sciendum, Gratiâ primam & secundam intrinsicè & essentialiter non differre, sed tantum extrinsicè per connotationem subiecti vel imbuti gratiâ, vel istâ privati; si gratia per Sacramenta collata inveniant subiectum omnî gratiâ destitutum, dicitur gratia prima: si verò inveniat id jam ornatum gratiâ, dicitur secunda, sicuti in alteratione naturali numerantur 1. 2. 3. &c. gradus. Jam quædam Sacramenta instituta sunt ad remittenda peccata mortalia, quod fit per primam gratiam, ut Baptismus & Pœnitentia, quæ idcirco vocantur Sacramenta Mortuorum, ut illos vivificent; cætera quinque instituta sunt ad augendam & perficiendam gratiam per accessum ulterioris gratiæ, quæ proinde requirunt subiectum jam gratiâ informatum & vivificatum, atque ideo vocantur Sacramenta Vivorum. Quod si contingat, eos, qui suscipiunt Sacramenta Mortuorum, jam esse vivos, & gratiâ imbutos, tunc Sacramentum superveniens confert gratiam secundam, & ipsa perceptio tanquam actus meritorius adhuc aliud incrementum gratiæ ex opere operato adjungit. Si verò contingat, eos, qui suscipiunt Sacramenta Vivorum, destitui primâ gratiâ, quam bonâ fide habere arbitrantur, tunc probabile est, quod præter alios tenet Arriaga de Sacram. in genere Disp. 16. Sect. 1. illis confert primam gratiam, dummodo generalem dolorem habeant de suis peccatis. v. g. aliquis in statu peccati mortalis subito apoplexiâ tangitur, ut ratione destitutus non possit confiteri, sed accipit extremam unctionem, cujus virtute per accidens acquireret primam gratiam & remissionem peccatorum alioquin damnandus, modò prius generalem aliquem dolorem habuerit de suis peccatis. Videri potest cit Author, cujus sententiam plures nunc Recentiores amplectuntur, nec alienus ab eadem est Card. Bellarm. Lib. 4. de Eucharist. c. 19.

**IV.** *Doctrina quarta.* Non omnia Sacramenta parem gratiam conferunt, sed unum majorem altero, prout ipsum majoris est dignitatis. Et quodiam



niam Eucharistia omnium Sacramentorum est dignissimum, utpote Christum ipsum non tantum significativè, sed realiter continens, ejus perceptio præ omnibus Sacramentis uberrimam gratiam confert. Quin etiam idem Sacramentum tum plus gratiæ tribuit, quam alteri, prout melius dispositus fuerit juxta Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 7. asserens, *justitiam per Baptismum recipi* (adeoque vi Sacramenti ex opere operato) *secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Ergo si adultus juxta mensuram propriæ dispositionis accipit gratiam, sequitur, Sacramentum plus conferre magis quam minus disposito. Quod sanè rationi & æquitati consonum. Tum quia etiam in causis naturalibus videmus, solem plus lucis immittere in conclave, quod habet majores & clariores fenestras: & vocem tantò clariùs resonare, quantò aer purior fuerit. Tum quia alias diligens præparatio sæpe fructu careret; siquidem peccator accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ cum intensissima attritione plus non acciperet quam alius peccator levissimè attritus; cum attritio peccatoris etiam intensissima, quatenus præcedit gratiam Sacramentalem, non mereatur etiam de congruo ullum gradum gratiæ, ut hic supponimus. Tum quia decebat planè ita fieri ad excutiendum fidelium torporem, devotionem excitandam &c. Spectat etiam ad Providentiæ DEI perfectionem, ut promoveat honestos hominum conatus & ferventem usum gratiæ antecedenter præhabitiæ, donando largiùs non solum plus merenti, sed etiam melius disposito, ut bene Esparza de Sacram. in com. Q. 26. art. 2.

V. *Doctrina quinta.* Etsi ordinariè Gratia Sanctificans detur in ultimo instanti, quo perficitur usus Sacramenti, si tamen eo tempore animus non sit dispositus ad gratiam recipiendam propter occultum aliquod peccatum mortale, tum differatur Gratia, donec obex per contritionem vel confessionem removeatur. Ita plerique Theologi cum S. Thoma Part. 3. q. 69. art. 10. & D. Augustino, qui hoc speciatim docet de Baptismo L. 1. de Bapt. cap. 12. inquit, *Baptismum à schismatico receptum, postea quando reconciliatur Ecclesiæ, incipere illi prodesse ad salutem*. Similiter si quis bonâ fide communicat nullius peccati mortalis conscius, quod tamen in anima latet, tum in ipsa communione nullam accipiet gratiam, sed jus ad gratiam recipiendam, quando removeat obicem per actum Pœnitentiæ; si verò scienter indignè communicat, nec jus ad gratiam, nec ipsam gratiam, quæ est effectus illius communionis, accipiet, ut volunt plerique Scholastici; non desunt tamen, qui cum Arriaga Disp. 14. n. 16. valde probabiliter velint, omnia Sacramenta reviviscere, quæ possunt validè & tamen cum obice gratiæ suscipi. Ratio desumitur ex divina Bonitate, cui consentaneum est, ut inuitu meritorum Christi per Sacramenta exhibitorum moveatur ad dandam gratiam eam, quamprimum fuerit subjectum capax, sicuti vir bonus, qui creditorem tempore solutionis faciendæ non reperiens dispositum, alio tempore solvit. Confirmatur. Quia nulla videtur posse assignari sufficiens ratio disparitatis, ob quam aliqua Sacramenta debeant eam virtutem habere, aliqua verò non, aut sola Eucharistia.

VI. *Doctrina sexta.* Quodlibet Sacramentum ex Nostris habet propriam & Specialem Gratiam,

quæ dicitur Sacramentalis. Ita Catholici Doctores cum s. Thoma 3. part. q. 62. art. 2. Nam singula ordinantur ad diversum finem. Baptismus ad regenerandum. Confirmatio ad roborandum. Eucharistia ad nutriendum &c. uti etiam tradit Catechismus Romanus q. 2. art. ult. Gratia autem ista Sacramentalis non est specialis habitus tam à Gratia Sanctificante, quam cæteris virtutibus in justificatione infundi solitis distinctus, sed est ipsa gratia communis, quatenus connotat specialia quædam auxilia divina suo tempore conferenda, & ordinata ad illum specialem effectum ac finem, ad quem Sacramentum est institutum, ut expressè docet S. Thomas loc. cit. & post inultos alios Theologos Esparza loc. cit. quæst. 28. Ratio prioris est, quia nihil opus est habitu speciali ad finem Sacramenti, cum nullus specialis assignari possit effectus, pro quo non sufficiat gratia communis & virtutes cum auxilio actuali, quidquid nonnulli putarint. Ratio posterioris est, quia cum quodvis Sacramentum ordinetur ad proprium effectum & finem, sequitur, rite suscipienti debere gratiam conferri illi fini competentem v. g. Baptismus, quia hominem in DEI famulam addeicit, eique certas leges observandas proponit, ideo confert speciales gratias ad implendam DEI voluntatem. Confirmatio quia hominem in Christi militiam adscribit ad propugnandam ejus fidem, ideo generosam fortitudinem confert spreto metu & pudore. Eucharistia quia divinam amicitiam fovet, ideo devotionem & amorem excitat. Pœnitentia quia pro injurijs DEO Satisfacere satagit, ideo ad opera pœnitentiæ impellit. Extrema unctio ad ultimam luctam opportunitis telis instruit. Ordo ad cultum divinum sanctè ac religiosè peragendum & castitatem servandam auxilia subministrat. Matrimonium denique ad servandam conjugalem castitatem & concordiam ac patientiam juvat.

VII. Itaque in Sacramentorum susceptione non confertur nuda gratia & virtutes, sed simul exigentia sive jus ad certa auxilia tempore opportuno danda & proportionata fini, quem Sacramentum intendit. Unde gratia sanctificans, ut connotat hanc exigentiam; seu jus ad actualia auxilia dicitur Sacramentalis. Et licet hæc gratia Sacramentalis conferatur in matrimonio & ordine, revera tamen Gratia Matrimonialis connotat alia auxilia, quam ordinis; & par est ratio de alijs Sacramentis, quæ idcirco differunt inter se non formaliter & specificativè, sed solum materialiter & in dividualiter, quia totum hoc (Gratia scilicet & talis auxiliorum exigentia) ordinatur ad sanctitatem bonorum operum, quantumvis distinctis vijs & modis. Porro sicuti jus ad illa auxilia penderet à Gratia sanctificante; ita etiam hæc pereunte extinguitur, quia propter ipsam datum est, & sublato principali etiam accessorium tollitur. Siquis ergo gratiam sanctificantem in Sacramento perceptam subsequenti peccato mortali extinguit, hoc ipso perdit jus ad gratias actuales intuitu illius Sacramenti debitas; si verò per Pœnitentiam recuperet pristinam gratiam sanctificantem illo Sacramento collatam, probabilissimè etiam recuperat jus ad gratias actuales illi annexas.

VIII. *Doctrina septima.* Effectus Sacramenti tertius est Character, per quem intelligitur signum aliquod spirituale & indelebile animæ impressum



presū. Ita omnes Catholicī. Explicatur. Character est nomen græcum, & significat signum alicui impressum, ut ab alijs dignoscatur. Quemadmodum igitur Monetarij nummis, Mercatores mercibus, Domini suis equis certum aliquod signum imprimere solent, ita DEUS suis Fidelibus certum aliquod signum imprimit. Et sicut olim DEUS Judæis corporale signum circumcisionis impressit, ita nunc spirituale aliquod signum animabus imprimit; quod insinuat Ezechielis c. 9. v. 4. ubi iussus est Angelus signum Tau frontibus hominum imprimere. Et Apocal. 7. v. 3. ipsimet Angeli dicunt, signemus servos DEI nostri in frontibus eorum. Eiusdem characteris meminit Apostolus 2. Cor. 1. v. 21. unxit nos DEUS & signavit nos. Ephes. 1. v. 13. signati estis spiritu promissionis sancto. Ibid. 4. v. 30. nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis. Imprimatur autem Character non in omnibus Sacramentis, sed tantum in tribus, scilicet Baptismo, Confirmatione, & ordine, ut habet Catholica veritas jam olim definita ab Innocentio III. c. Major. Et novissime à Tridentino Sess. 7. can. 9. si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet Confirmatione & ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde iterari non possunt, anathema sit. Quod quidem ex Scriptura probari clarè non potest, sed nritur aliquà traditione Ecclesiæ, cui DEUS id revelavit, & cui non minus credendum, quam Scripturibus Bibliorum, cum ex eisdem Spiritus Sancti infallibili instinctu proveniat, atque idcirco ab Apostolo Ecclesiæ vocetur columna & Firmamentum veritatis 1. Tim. 3. v. 15. Et qui illam non audierit, habendus pro Ethnico & Publicano Marth. 23. vers. 17. Cur autem Christus in his tribus solum Sacramentis voluerit imprimi Characterem, congrua ratio reddi potest ex usu humano. Nam tria tantum hominum genera solent certis notis insigniri. 1. servi & mancipia inustis stigmatibus, ne facile diffugiant. 2. milites certi coloris balteis, ut sciatur, cui parti militent, cum in conflictu propter fumum vix aliter dignosci queant. 3. Aulici vestimentis certi coloris & formæ, ut sciatur, quinam admittendi sint in aulam ad servitium Principis. Ita Fideles, cum primum baptizantur, sunt servi Christi: cum deinde confirmantur, milites: cum demum ordinantur, sunt officiales in Aula Christi. Et ideo in his tribus Sacramentis character imprimitur, estque signum merè ad placitum, ut communiter volunt Theologi; quomodo enim naturaliter significare potest, me esse domesticum, militem, aut ministrum Christi?

IX. Est igitur Character aliquid physicum, reale, & intrinsecum suscipienti, nempe est qualitas quedam spiritualis & supernaturalis ipsi animæ substantiæ impressa, ut communiter docent Theologi ex citatis Conciliorum verbis. Ratio desumitur ex duplici sine Characteris; primus, ut hominum status distinguat; alter, ut potestatem quandam moralem activam vel passivam conferat in ordine ad alia Sacramenta. Nam character Baptismi reddit hominem capacem aliorum Sacramentorum, quæ alioquin non valerent, v. g. si quis non baptizatus ordinetur sacerdos, Ordo est nullus. Character Confirmationis facit capacem Sacramenti Ordinis; quantumvis enim Ordo validè à non confirmato recipiatur, tamen non licitè propter legem Ecclesiæ, quam DEUS præ-

fixit. Character Ordinis potestatem tribuit ad conficienda Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ unctionis alioquin non valitura. Diversorum Sacramentorum characteres inter se differre specie, communior est Doctorum sententia. Ratio sumitur ex diversis finibus, ad quos singuli ordinantur, & diversa omnino denotant; unde aliqui non improbabiler volunt, singulorum etiam ordinum characteres specie inter se differre, quia singuli adhuc habent significationem valde diversam. Alij tamen aliter sentiunt; quæ lis parvi est momenti & alibi decidenda. Demum characterem tam in hac quam in altera vita esse indelebilem, colligitur ex praxi Ecclesiæ, quæ resuscitatum à mortuis nec rebaptizat, nec reordinat; nempe quia in eo manet character prior; cuius ratio melior afferri non potest, quam voluntas Dei; unde etiam non dependet à gratiâ sanctificante, nec per peccatum mortale vel impeditur vel extinguitur. Quæmadmodum autem Insigne hoc animæ instar gemmæ in Beatis fulgebit, ita in damnatis potius erit ad ipsorum dedecus, quam ornamentum, quod tam perditè Christum Dominum suum desererunt, cui singuli obligati fuerant, perinde ferme, ac si aliquis nobilis cum aureis calcaribus in patibulo suspenderetur.

X. Doctrina octava. Tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti consistentis in usu requiritur in adulto aliqua positiva intentio suscipiendi Sacramentum. Ita omnes Catholici Doctores. Ratio clara est. Nam de Matrimonio, cum sit contractus mutuam obligationem inducens, indubitatum est, stare illud sine voluntate suscipientis non posse. Nec Sacramentum Pœnitentiæ absque suscipientis intentione subsistit, cum sit iudicium includens voluntariam accusationem Rei sententiam à sacerdote velut legitimo Iudice expectantis. Baptismus, Confirmatio, Ordo hoc ipso, quod imprimant characterem, per quem homo ad certum statum officium &c. deputetur, requirunt suscipientis intentionem ac consensum; quando is præstare illum potest, aut saltem potuit. Externa unctio cum afferat sanitatam internam, requirit etiam in adulto aliquem consensum; nam, ut testatur Tridentinum, adulti nunquam justificantur nisi per voluntariam susceptionem. Ergo omne Sacramentum consistens in usu (in Eucharistia enim utiq; res aliter se habet) requirit aliquam suscipientis intentionem, ut bene discurret Card. Lugo Tom. de Sacramentis in communi, D. 9. n. 116. Non obstat Concilium Toleraum IV. reflatum Dist. 45. cap. 5. ajens, vi baptizatos Judæos debere in fide permanere. Nam non loquitur de vi aut coactione tollente consensum, sed de extorquente; sufficit autem in Baptismo consensus extortus, licet involuntario mixtus.

XI. Cæterum ad valorem & effectum in plebisque sacramentis sufficit in suscipiente intentio merè habitualis, non tantum habitualis explicita, sed etiam implicita; quia sufficit voluntas præterita non revocata, licet hic & nunc in sua virtute nullo modo perseveret. Atqui hæc voluntas est habitualis. Ergo &c. Præter sufficientem intentionem (si pœnitentiam exipiamus, quæ dolorem tanquam essentialem sui partem postulat) non requiri alium actum dispositionis ad valorem Sacramentorum colligitur ex praxi Ecclesiæ, quæ, ut diximus, hæreticos non rebaptizat, supponens, Sacramentum sine fide & alijs



& alijs actibus modò cum debita intentione fuerit collatum & susceptum, esse validum, quod idem etiam de cæteris sacramentis sentiendum.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XII. **E**rror primus. Sacramenta Novæ Legis nullam causare gratiam internam. Ita Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 2. fol. 810. Calviniani aud Amesium Tom. 3. fol. 29. & cæteri hodie Sectarij, qui non agnoscunt gratiam internam, sed solum imputationem extrinsecæ justitiæ Christi, adeoque totam Sacramentorum efficaciam ponunt in excitatione & roboratione fidei justificantis. Probant 1. Sac. Scriptura affirmat, hominem justificari per fidem. *Iustus ex fide vivit* Rom. 1. v. 18. Ergo non per Sacramenta nisi quatenus excitant fidem. 2. Marci. 16. Dominus agens de Fide & Baptismo ait tantum de Fide, non de Baptismo, quod ejus defectus afferat condemnationem, *qui non crediderit, condemnabitur*. Ergo Fides est propria causa gratiæ & salutis, non Baptismus. 3. Roman. 4. v. 10. ait Apostolus, *Abrahamum non esse justificatum ex circumcissione, quæ erat Sacramentum veteris Legis, sed ex Fide, cujus signaculum fuit circumcisio*. Ergo eodem modo Sacramenta Novæ Legis non justificant, nisi excitando fidem. 4. Ephes. 5. v. 26. scribit idem Apostolus de Ecclesia, *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. ubi totavis baptismi tribuitur verbo; verbum autem operatur excitando fidem juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 17. *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*. 5. In omni Sacramento requiritur verbum Promissionis. Sed ubi est promissio, ibi est & requiritur fides, Ergo fides est, quæ immediatè operatur & justificat. 6. Multi per fidem salvantur sine Sacramento Baptismi, ut qui non habent à quo baptizantur: & è contra qui baptismum habent, damnantur. Ergo in Sacramento fides est, quæ justificat, non Sacramentum.

XIII. Ex hoc errore, qui ex dictis parte priorè facilè rejicitur, multa & gravia absurda sequuntur. 1. Sacram Scripturam esse Sacramentum; quia excitat & roborat fidem, estque divinitus instituta, & constat verbo & elemento, hoc est, chartâ & vocabulis, adeoque tota illorum definitio ei convenit. 2. Sacramenta esse supervacanea, quia illorum effectus Scil. excitatio ac corroboratio fidei facilius potest per contiones obtineri. 3. Baptismus Infantium esse supervacaneum, cum in illis ratione carentibus non possit fides excitari. 4. Sacramenta esse falsa sigilla, quia testantur, accipientem fore salvum, cum multi ex baptizatis, & communicantibus deficiant à fide, & consequenter damnentur. Tenenda igitur, quam dedimus, Doctrina Catholica, nimirum Sacramenta Novæ legis instituta fuisse, ut conferrent gratiam justificantem, adeoque effectum illorum esse gratiam internam pro quo duo singulariter notanda. *Primum*. Cum Sac. Scriptura tam frequenter loquatur & vaticinijs, & figuris, & expressis verbis, ut videre est apud Bellarminum Lib. 2. de Sacram. à cap. 3. & tamen ne semel quidem dicat, vim

Sacramentorum consistere in excitanda vel alienanda fide, sed semper explicet, consistere in purgandis peccatis & mundanda Anima. Quis credat, finem Sacramentorum immediatum semper taceri, mediatum verò toties inculcari? *Alterum* si negare liceat, Sacramenta verè & immediatè sanctificare, quod tamen Scriptura tam apertè docet, eadem ratione negari poterit. Fidem justificare contra ipsos Adversarios; Nihil enim Scriptura tribuit fidei, quod non etiam tribuit Sacramentis &c.

XIV. Respon. ad 1. negando imprimis consequentiam; quia multæ esse possunt causæ justificationis in diverso genere. Nam homo justificatur per Fidem tanquam per dispositionem præviam: per Sacramenta tanquam per causam instrumentalem: per DEUM tanquam per causam Principalem; per Christum tanquam per causam meritoriam; per gratiam justificantem tanquam per causam formalem. Verba adducta ex S. Paulo Rom. 1. malè Adversarij ad suum errorem detorquent, cum juxta literam aliud non velint, ut videre est apud Tirinum in cap. 2. Habacuc v. 4. quàm justum ex fide, quam habet, expectare, quæ Deus promissit, & non deficere, etiamsi promissiones tradari videantur. Deinde etiamsi verba illa in pravo Adversariorum sensu admittentur, non sequitur, quod ipsi volunt; etenim homo fidelis non magis ex fide, quàm ex Sac. Eucharistia vivit, inde tamen non bene inferent, fidem, spem, charitatem non esse causam gratiæ & vitæ, nisi mediante S. Eucharistia. Deum malè negant, non posse plures causas instrumentales esse justitiæ & vitæ; cur enim id fieri & ad Deo decerni nequeat? Ad 2. ex Marci ult. Negando iterum consequentiam, nunquid etiam 3. Ioan. v. 5. dixit Dominus: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, non potest intrare in regnum celorum*; ex quo inferitur, nos per baptismum renasci seu regenerari, quod sine gratia justificante fieri non potest. Atque hoc ipsum, scil. sine baptismum non posse nos intrare in regnum celorum includitur in illo Marci 16. Nam qui non credit, consequenter non vult baptizari. Ait Amesium fol. 29. qui credit, potest non velle baptizari. Verùm cum juxta istos Sectarios ille, qui verè credit, etiam speret & diligit Deum super omnia adeoque justificetur; quomodo nolle potest præceptum Baptismi servare adeo severe à Christo latum?

XV. Ad 3. ex epist. ad Rom. 4. fidem in Abrahamo non fuisse excitatam per circumcissionem, sed hanc extitisse signaculum seu testimonium fidei jam antea habitæ, ut supra jam diximus; unde inferre nequeunt Adversarij, fidem excitari per Sacramenta, sed illam requiri ante horum susceptionem, id quod nos affirmamus. Ad 4. ex epist. ad Ephes. 5. per verbum vitæ non intelligi verbum concionis aut prædicationis, quo excitetur fides; sed intelligitur forma Baptismi seu verbum illud solenne: ego te baptizo &c. Sensus igitur est; Ecclesiam mundari per baptismum, qui constat ablutioe aquæ & verbo baptizantis. Atque sic exponunt omnes interpretes, quando agunt de sensu literali; opposita Adversariorum glossa non est Apostolica, sed Lutheo-Calvinica. Ad 5. ex dictis de definitione Sacramenti in Comuni consistere, contineri in ea non tam divinam promissionem, quàm hujus promissionis assecurationem seu pignus gratiæ per Christum



stum dandæ. Quodsi daremus etiam, requiri promissionem, & consequenter fidem, inde tamen non sequeretur, fidem immediate, unice, & per se justificare, sed tantum dispositivè; ex quo apparet hoc Amesij argumentum unidq; esse mancum ac nullum. Ad 6. itidem constare ex dictis & discrimine facto inter adultos & parvulos. Nam parvuli per baptismum sine propria fide actuali: adulti verò salvari debent per baptismum & propriam fidem actualem; adeoque utrumque licet diverso respectu, scilicet per baptismum activè: per fidem dispositivè. Rursum per baptismum vel re ipsa, vel voto seu desiderio susceptum.

XVI. *Error secundus.* Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, sed ex parte utentis requiritur fides. Ita Gerhardus lib. 2. P. 2. fol. 827. cum suis Lutheranis, & Amesius Tom. 3. cum suis Calvinianis. Probant. Tum quia nec in Scriptura, nec in Patribus invenitur hæc barbara & ridicula phrasis; adducit Amesius fol. 21. in confirmationem hujus P. Vasquez in. 3. Part. D. 131. c. 1. Tum quia S. Eucharistia sine fide nihil prodest, ut docet Bellarminus Lib. 3. de Eucharistia c. 9. Ergo infert Gerhard. fol. 823. Sacramenta non profunt ex opere operato. Tum quia S. Augustinus apud Lutherum in Lib. contra cochlaeum, & in Apologia Confess. Augustanae art. 13. dixisse fertur: non Sacramento, sed fide Sacramenti nos justificari. Tum quia absurdè opponitur operi operato meritum agentis vel sufficiens, cum detur tertium, nempe dispositiones.

XVII. Errorem hunc ex Concilio Tridentino supra citato rejiciunt & damnant omnes Catholici: nec vocabula quemque movere debent. Nam cum quibuslibet scientijs proprios artis terminos excogitare liceat, cur non etiam in Theologia ad res adeo abstrusas clariùs & meliùs explicandas? Melius est, inquit D. Augustinus in Psal. 138. *Ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.* Quoad rem constat ex citatis Scripturis & Patribus; ipsa etiam Sacramenta per se habere vim ad conciliandam gratiam ex ipsa divina institutione. Optimè S. Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 24. ait: *Sacramentum per se ipsum multum valere.* Et L. 4. contra Cresconium c. 16. *non eorum, inquit, meritis, à quibus ministratur: neque eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, à quo institutus est.* Ubi in terminis quasi declarat eam phrasin, quid sit ex opere operato conferre gratiam. Et Cyprianus serm. de coena Domini: *Sacramenta, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt.*

XVIII. Respon. ad 1. probationem. Esto, ipsa vocabula nec in Scriptura nec in Patribus inveniri, rem tamen ipsam significatam aperte inibi haberi, quod sufficit. Nec aliud intendit Vasquez citatus, qui idcirco retinet eadem vocabula in sensu, juxta quem illa sumpsit Tridentinum: Amesius ait quidem, se consentire Vasquezio, sed cum gratiam internam, & efficaciam immediatam Sacramentis neget, totamque vim soli Fidei adscribat, alienissimus est ab eodem, & fraudulenter loquitur. Ad 2. negando consequentiam. Nam quantumvis in Sacramento plerisque (non omnibus) exigatur fides actualis, inde tamen non infertur, justificationem fieri ex opere operantis, sed ex opere operato, quia etsi fides alique boni affectus voluntatis requirantur, ut dispositio,

non tamen ut meritum. Quapropter Deus gratiam confert non præcisè, quantum opus operantis exigit, sed quantum ex opere operato & merito Christi per quodvis Sacramentum conferre decrevit. Ad 3. luculentum esse mandacium, non argumentum probationis, ut bene Tanner Tom. 4. D. 3. Q. 3. n. 14. Nam S. Augustinus nusquam sic loquitur, sed ubique juxta mentem antiquæ Ecclesiæ & aliorum Patrum scribit: ac nominatim quod Sacramentum Baptismi ex sua institutione vim salvandi habeat; ipse apertissimè declarat epist. 23. ad Bonifacium sic in fine de baptismo parvulorum ajens: *Itaque parvulum, etsi nondum fides illa, que in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidem facit &c.* Et infra de hoc ipso Sacramento: *& tantum valebit; ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum Sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, que per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est; etsi habeat fidei Sacramentum: longeque melior est ille parvulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non et tamen obicem contrariâ opinione opponit, unde Sacramentum ejus salubriter recipit &c.* Hæc D. Augustinus, in quibus aperte affirmat, duo de fide certa; primum Sacramentum baptismi mundare parvulum ab originali peccato sine fide ipsius: alterum Sacramentum conferre suum effectum illi, qui non ponit obicem peccati. Utrumque negant hæretici. Et cum infidelis sit, qui priorem propositionem negat; huic autem directè adversetur illa apud Lutherum, & in Apologia: *non Sacramento, sed fide Sacramenti justificamur*, unum è duobus esse oportet, aut illam propositionem apud Lutherum, & in Apologia non esse Augustini, sed falsò huic attribui: aut Augustinum esse infidelem, quod impium & nefas est sentire. Ad 4. Amesium absurdè in repleta & expedita tricari. Nam dispositio non est medium quid inter actionem Sacramentalem, ut à Christo institutam, & actionem meritoriam hominis Sacramentum ministrantis, sed planè pertinet ad causalitatem Sacramenti ex opere operato. Perinde ut Philosophi dicunt, quatuor esse causas, Materialem, Formalem, Efficientem & Finale, dispositivam & instrumentalem sub illis intelligendo.

XIX. *Error tertius.* Sacramenta quædam Novæ Legis characterem imprimere indelebilem, est dubium & incertum. Ita Gerhardus Lib. 2. Parr. 2. à fol. 843. & Amesius Tom. 3. fol. 42. post Wicleffum, Calvinum, Kemnitium & alios Lutheranos & Calvinianos. Afferunt varias rationum uncias 1 & potissima est, quia de caractere illo nullus in Scripturis extat character. 2. si character est signum spirituale, tum non est sacramentale, quod à sensu percipi debet. 3. idem non hominibus, sed DEO debet significare. 4. debet etiam significare aliquid minus visibile aut notum, quam sit res spiritualis. 5. si character sit signum animæ impressum, tum vel mediante gratiâ, vel immediate; non prius, quia multi characteres habent, qui nullam habent gratiam: neque postèrius, quia Sacramenta efficiunt gratiam immediate. 6. si character sit qualitas absoluta, tum est bona vel indifferens. item vel generari vel creari debet per Sacramentum. Sed nihil horum consistere potest. 7. officia tria characteri attribui solita sunt effectus gratiæ. 8. si character sit in sola anima, tum



ma, tum à Sacramento externo vel non propriè imprimitur, vel sine contactu subjecti, cui imprimitur. 9. si character sit indelebilis, tunc manet in ijs, qui plenè recipiunt characterem bestiaè, & ipsis etiam damnatis; ac proinde nec aptum facit ad cultum divinum, neque configurat Christo, neque distinguit ab alijs cum ullo fructu, quæ tamen dicuntur ejus officia. 10. nulla ratio verisimilis dari potest, quare gratia à septem Sacramentis efficiatur, & character tantùm à tribus, cum præsertim sit qualitas absoluta, & nihil absolutum sit proprium trium Sacramentorum.

XX. Hunc errorem rejiciunt & damnant Innocentius III. c. Majores de Baptismo & ejus effectu. Eugenius I. v. in decreto Fidei seu unionis, ut habetur post ultimam Sessionem Concilij Florentini. Tridentinum Sess. 7. can. 7. de Sacramento. in genere, & quæ maximè nitimur, constans & perpetua Ecclesiæ Traditio, quæ habetur potissimum ex SS. Patrum testimonijs. Rationem hujus characteris asserendi Concilia Florent. & Tridentinum ex eo sumunt, quod aliàs nulla causa assignari possit, cur solum tria illa Sacramenta iterari non possint, nisi quia ejusmodi indelebilem characterem imprimunt. Ratiunculæ, quas accumulatur Amelus, ex dictis parte priorè apparent evanidæ, ne tamen blatero aliquid se dixisse putet.

XXI. Respon. ad 1. ex doctrina 7. constare, characterem non tam Sac. Scripturæ clarâ, quàm Traditione perpetuâ Ecclesiæ niti; quamvis etiam Scripturæ testimonia adduxerimus, quæ explicatius videri possunt apud Bellarminum Lib. 2. cit. c. 20. Authores Catholici, quos Gerhardus pro se adducit, quasi Characterem nihili fecissent, aliud non volunt, quàm quod diximus, non posse scilicet liquidò eum ex S. Scriptura demonstrari. Durandi autem sententiam, characterem non esse aliquid reale ab anima distinctum, sed esse tantùm ens rationis, hoc est, respectum adventitium ex deputatione ad certum statum & officium, rectè censuit Bellarm. Lib. cit. c. 19. vix distingui ab hæresi hujus temporis, & damnatam videri à Concilijs, quæ si Durandus videre potuisset, aliud utique docuisset. Ad 2. distinguendo; non est Sacramentale significans exterius & efficiens gratiam, conceditur: non est signum internum consequens ipsum externum Sacramentale signum, negatur. Ad 3. Characterem DEO, & Spiritibus atque hominibus beatis significare. Ad 4. eundem characterem significare tria illa officia apud Bellarminum L. 2. c. 19. scilicet aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, & distingui ab alijs, in quibus nihil absurdi. Ad 5. Sacramenta utrumque immediatè præstare, hoc est, producere gratiam & characterem, positâ dispositione requisitâ. Ad 6. omnia consistere; characterem esse qualitatem physicam, bonam, productam ex potentia obedientiali animæ. Ad 7. negando consequentiam; antecedens etiam est mancum; etenim gratia sanctificans non distinguit Angelum ab homine, aut hominem novæ Legis à Patriarchis, quod utrumque facit character. Ad 8. in sequenti controversia dicemus, probabilius videri, Sacramenta moraliter tantùm producere gratiam, hoc est, ad eorum exigentiam rite susceptorum à DEO physice produci gratiam in anima. Sic ergo tenemus,

ad exigentiam Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & Ordinis susceptorum produci etiam à DEO immediatè præter gratiam in anima characterem. Ad 9. characterem non præstare illa officia in actu secundo semper & in omnibus subjectis ob horum indispositionem: at verò in actu primo posse eadem ex se præstare. Ad 10. constare ex dictis, ex mero DEI arbitrio hæc dependere, atque idcirco non petendam esse eorum rationem; congruentiam tamen ex ullo humano reddidimus.

XXII. Error quartus. In suscipiente Sacramenta etiam in usu consentientia non requiritur ad valorem illorum intentio: nec ad majorem ex illis factum seu gratiam ex opere operato percipiendam melior dispositio. Ita communiter hæretici hujus temporis, qui cum Gerardo Lib. 2. P. 2. fol. 816. & alibi solam fidem requirunt ad fructum seu gratiam Sacramenti absque intentione tam administrantis, quàm suscipientes etiam ad valorem ejusdem. Probant. Tum quia infantes rite baptizantur sine ipsorum intentione, ut fatentur Papiæ. Tum quia Glossa in can. solet de consecrat. dist. 4. asserit, ad veritatem baptismi sufficere intentionem Ministri; quidquid suscipiens intendat vel non intendat. Tum quia aliàs repetendus esset baptismus, si quis sine intentione baptismi perciperet. Tum quia in Sacramentis sola fides attenditur, & quidem fides fiducia in divinam misericordiam. Tum quia gratiæ distributio pendet à divina prædestinatione, & voluntate, non à nostra dispositione. Tum quia juxta Pontificios Sacramenta causantur ex opere operato seu ex solis meritis Christi. Ergo major & minor dispositio suscipientis nihil faciet ad augmentum ejus gratiæ & fructus Sacramentalis.

XXIII. Errorem hunc utrumque rejiciunt ac damnant omnes Catholici ex dictis Part. priorè §. 4. & 9. Contra eundem est illud effatum Christi Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos.* Ubi neminem ex adultis invitum baptizandum supponitur; sed ex doctrina & institutione; cur autem ex hac institutione melius dispositio non conferatur plus gratiæ etiam ex opere operato, cum verba illa Tridentini Sess. 7. can. 6: *supra citata, justitiam recipi secundum propriam virtutis operationem & dispositionem*, generalia sint, & ut sonant, de omni dispositione intelligi possint, ut eadem intelligunt communiter Doctores? Rationes in oppositum nihil evincunt.

XXIV. Respon. ad 1. negando paritatem inter parvulum & adultum; Ratio disparitatis sumitur ex institutione Christi, qui nusquam talem respectu parvulorum intentionem requisivit ad valorem Sacramenti; cuius testis est usus Ecclesiæ, quæ c. Majores de adulto ait: *ille verò, qui nunquam consentit, sed contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramento.* De parvulis verò dicit: *Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim Sacramenti remittitur.* Ad 2. opinionem Glossæ in can. censerii erroneam à Theologis apud Tanner Tom. 4. Disp. 4. Q. 2. n. 32. qui pari ratione graviter censent opinionem alterius Glossæ in cap. cit. Majores baptismum fore validum, modo is, qui suscipit, exterius significet, se velle eum suscipere: etiamsi animo repugnet. Ad 3. nihil absurdi esse in hac repetitione; imò eam fieri oportere, clarè indicat Pontifex cap. Majores cit. cum talis



nec characterem suscipiat, qui solus, si addit, reiterationem baptismi prohibet. Ad 4. Fidem illam fiduciam esse fictitiam, ut alibi diximus. Cæterum ad valorem baptismi nec fidem veram, nec pietatem suscipientis requiri, tenent omnes catholici ex certa sententia & traditione Ecclesie quæ baptismum etiam ab hæreticis, & erga hæreticos administratum valere constat, ut docent etiam S. Augustinus Lib. 3. contra Donatistas cap. 14. atque alibi. S. Gregorius Lib. 9. epist. 61. & alij Patres. Ratio esse potest, quia aliud est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti; & sicut Sacramentum non dependet à suo effectu, ita nec à dispositione ad effectum; quin autem ex parte suscipientis necessaria sit fides, ut baptismus ab adulto fructuose suscipiatur, non negamus. Ad 5. tamen hoc verum sit, loquendo de gratia sanctificante, DEUS tamen eam solet per certa media & accommodatè ad dispositionem recipientis, si adultus sit, conferre. In proposito autem est talis dispositio, ob quam Christus merita sua ita voluit applicare, ut in Sacramentis major gratia magis disposito conferretur. Ad 6. denique cum Arriaga Disp. 10. n. 69. negando consequentiam. Quia Christus ipse, qui applicuit sua merita Sacramentis, ita ea applicuit, ut voluerit majorem causari gratiam juxta meliorem dispositionem; non quod ea dispositio se habeat per modum causæ respectu illius gratiæ, sed quia est per modum conditionis. Discrimen autè inter causam moralem & dispositionem consistit in diversitate affectus divini, quo tendit in illa, & in prædicato diverso, vi cuius movet Sacramentum & dispositio; Sacramentum enim movet ut operatio facta nomine Christi, adeoque ut habens in se dignitatem movendi & impetrandi id, quod Christus petit. Unde, quantum est ex se, Sacramentum habet vim movendi ad gratiam dandam etiam sine ulla dispositione; si Christus eam non exigeret, sicuti de facto non exigit illam in infantibus quoad baptismi gratiam; requirit tamen etiam in adultis characterem ad gratiam aliorum Sacramentorum. Sacramentum igitur movet in actu primo ad dandam gratiam omni illi, cui Christus eam voluerit conferri. At in adultis non vult Christus illam conferri, nisi ut dispositio hoc vel illo modo. Ergo non ex defectu Sacramenti, sed ex voluntate restrictiva Christi provenit, ut ex parte subjecti dispositio attendi debeat. Dispositio è contra non movet hoc modo, utpote carens hujusmodi radicali dignitate, & supponit aliud motivum dignificatum & potens movere, quantum est in se independentè à dispositione. Videatur citatus Author.

CONTROVERS. LXVI.

DE COMPARATIONE SACRAMENTORUM.



Acramenta vera & propria in utraque Lege tam Antiqua scil. quàm Nova fuisse, extra omnem Controversiam est. Quomodo autem se habeat, in utraque paris sint efficaciam quoad gratiam, justificationem, & salutem hominibus conferendam, non convenit inter Catholicos & Sectarios hujus

temporis; quæ lis impræsentiarum decidenda est.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Sacramenta Antiquæ Legis non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: Sacramenta verò Novæ Legis & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Ita in terminis Concilium Florentinum in decreto Eugenij in instructione Armenorum §. 5. Addit Tridentinum Sess. 7. can. 8. *Sacramenta nostratia nonponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato.* Ex his supra jam fusius explicatis cum satis constet, Sacramenta Novæ Legis aliquo modo in genere causæ Efficientis concurrere & causare gratiam; restat tamen dubium, moraline tantum, an etiam physico influxu non quidem per potentiam merè naturalem, sed obedientialem id præstent? De cetero hujus non quidem est hujus fori, sed planè ad Scholasticos spectat; quia tamen Amesius Tom. 3. fol. 20. insulsè exprobat Bellarmino, quasi cautè difficultatem hanc declinasset, placet paucis aperire mentem nostram, quo modo Sacramenta nostra gratiam producant.

II. Supponimus ex Philosophia, dari potentiam Obedientialem in omni genere causæ, quæ creatura elevata aliquid supra naturæ vires causat atque hanc potentiam Obedientialem activam dari in quavis entitate (salte quæ supra naturam productiva est) ad quemlibet effectum producendum, cum nulla hujus appareat implicancia. Nam imprimis talis potentia absolute & intrinsicè esset naturalis, utpote identificata enti naturali, & solum extrinsicè supernaturalis, quia ad terminum supernaturalem. Deinde est intellectus produceret v.g. volitionem, non tamen diceretur volens, sed habens volitionem, quia illud vitale etiam certum subjectum requirit. Denique prædicta potentia foret infinita extrinsicè solum ratione connotati, non autem intrinsicè ratione propriæ entitatis. Hæc igitur Potentiâ obedientiali Sacramenta, per se loquendo, & ubi nihil obstat, physice concurrere ad producendam gratiam, adeoque esse instrumenta gratiæ physica, docent omnes Thomistæ cum S. Thomâ 3. part. q. 62. art. 1. 2. & 3. item valentia, Suarez, Henriquez, Tanner Tum. 4. Disp. 3. Q. 3. n. 47. & eandem sententiam expressè sequitur Bellarminus Lib. 2. de Sacrament. in genere, c. 11. ut non nisi impudenti mendacio illam declinasse ab Amesio dicatur. Sed præter hanc Causam Physicam est alia Causa Moralis, quæ mediâ sui cognitione movet moraliter agens liberum intuitu ipsius ad aliquid physice producendum. Atque hæc causâ Morali solum Sacramenta nostra causare gratiam, hoc est, movere DEUM mediâ cognitione sui & meritorum Christi ipsis applicatorum ad producendam physice gratiam, docent Vasquez, Coninck Præpositus, Cardinal. Lugo, Arriaga de Sacrament. in communi D. 10. à n. 11. & plures alij, Hoc posito.

III. Do-